

Quarta hypothesis est quod Sacramentum reconciliet contritum etsi non coram Deo, tamen coram Ecclesia, faciatque proxime idoneum ad alia Sacramenta suscipienda.

At iuxta Tridentinum reconciliatio, quae est effectus Sacramenti proprius, est reconciliatio cum Deo: reconciliatio cum Ecclesia fit per absolutionem a censuris, quae non est forma Sacramenti, neque est actus proprius ministri huius Sacramenti. Praeterea cum peccata sunt occulta et confessio secreta, quatenus fit reconciliatio cum Ecclesia, quae neque offensa fuit, neque poenitentiam cognoscit?

Quinta hypothesis est quod Sacramentum reconciliet reconciliatione consummata per condonationem poenae temporalis vel in toto vel ex parte.

Ergo Sacramentum non culpam, sed poenam tantum remittit, quod repugnat Tridentino. Praeterea etiam contritio sola id praestare potest.

Sexta hypothesis est: Sacramentum contrito confert augmentum gratiae, hoc porro augmentum est reconciliatio quaedam; nam homo reconciliatur magis Deo.

Scilicet Sacramentum Poenitentiae illud praestat quod praestant cetera Sacramenta vivorum; non autem praestat reconciliationem proprie dictam seu primam, sive iustificationem eam, quae est transitus a statu peccati ad gratiam: porro hic est effectus proprius huius Sacramenti, ut ex demonstratis in praecedentibus liquet. Ideo scilicet augmentum gratiae est remissio, quia gratia in illo datur sub ratione remissionis, ideoque amplior est remissio: datur autem gratia sub hac ratione, quia absolutio potest remittere et ordinata est ad remittendum peccatum praesens.

Atque hae sunt responsiones, quas huic *vulgari obiectioni*, ut ipsi amant dicere, diluendae sufficientes arbitrantur novi isti Theologi.

Satis ergo constat iis, qui defendunt necessitatem amoris Dei propter se super omnia in Sacramento, vel negandum esse contritionem omnem caritate formatam delere statim peccata, vel negandam esse vim propriam Sacramenti poenitentiae remittendi nempe peccata. Cum igitur iam utrumque falsum esse demonstraverimus, sequitur necessariam non esse contritionem ex huiusmodi amore in Sacramento.

Neque ex eo quod Concilium Tridentinum definivit partem Sacramenti esse contritionem, sequitur postulari detestationem peccati ex amore Dei conceptam; duplex enim est species contritionis, quarum altera iuxta idem Concilium non iustificat citra susceptionem Sacramenti, altera iuxta idem Concilium iustificat ante Sacramentum susceptum. Est autem commentum Iansenianum definitionem traditam

a Tridentino contritionis generice spectatae includere motivum amoris Dei; ideoque hoc motivum commune esse utrique contritioni perfectae et imperfectae, perfectam vero eam esse, quae sit ex caritate perfecta, h. e. intensa sive intensissima. Quod commentum inferius data opera refellemus.

## THESIS XXVI.

*Praemissa brevi Synopsi historica sententiae veterum Scholasticorum circa efficaciam Sacramenti Poenitentiae, docemus ad plures ex illis perperam ab adversariis provocari ut suam sententiam de necessitate contritionis in Sacramento Poenitentiae tueantur.*

I. Pro huius rei declaratione expedienda est quaestio historica: quid arbitrati sint non pauci Scholastici veteres de efficacia absolutionis; videtur enim non una eademque fuisse penes illos sententia. Ut rei totius summa tantum capita attingamus, haec speciatim monemus.

1<sup>a</sup> Sententia fuit communis veterum, Sacramenta omnia novae legis gratiam conferre, atque in hoc differre a Sacramentis veteris legis, eamque gratiam conferre quam significant. Ipsum proinde Sacramentum Poenitentiae conferre gratiam a materia et forma eius significatam.

Unde Gabriel Biel *Profundissimus* Theologus Seculi XV. cum de Sacramento Poenitentiae loquitur in IV. D. IV. q. 2. inquit: « Notandum quod licet apud omnes concedatur quod per Sacramentum Poenitentiae deletur culpa; quomodo tamen ista deletio intelligenda sit diversae sunt opiniones ».

II. Et idcirco ut de Sacramento Poenitentiae speciatim loquamur, quadruplex penes veteres occurrit potissimum modus explicandi efficaciam eius, sive declarandi effectum illum, qui ipsi Sacramento sive absolutioni proprie tribuendus est. Alii enim docent absolutionis efficaciam per se pertingere immediate ad primam gratiam, qua deletur peccatum, quos auctores paulo post afferemus: alii vero docent pertingere ad eam mediate, immediate vero ad quandam dispositionem effectam in animo, sive ornatum quemdam analogum characteri: ad hos spectant Albertus M. in 4. D. XVI. a. 8. Magister, interprete s. Thoma, in 4<sup>a</sup>. D. XVIII. q. 1<sup>a</sup>. a. 3. coll. D. 1<sup>a</sup>. q. 1. a. 4. et ipse Thomas ibid. Alii docent Sacramentum in voto, quod in contritione existit, pertingere ad primam gratiam, Sacramentum vero in re con-

ferre augmentum gratiae, primam enim gratiam iam supponit collatam propter contritionem: alii distincta remissione culpae a remissione poenae aeternae, illam soli Deo, mediante contritione, hanc virtuti Sacramenti, mediante confessione, adserunt.

Exstitisse Theologos aliquos, qui tertiam sententiam docerent, negari non potest. Eius meminit s. Bonaventura, loco inferius citando: et de hac re non dubitarunt Theologi posteriores, versatissimi in operibus veterum, cuiusmodi sunt Suarez D. XVI. S. 2., Lugus D. XIII. Sect. 2. et praecipue Vasquez, qui in q. LXXXIV. a. 3. dub. 2. citat pro ea Magistrum, Bonaventuram, Biel, Marsilium, Maiorem, Ockamum, Alensem, Thomam de Argentina, Abulensem, licet quosdam ex his immerito.

Satis sit modo ex illis tres appellare, Guillelmum Praepositivum, Thomam de Argentina, et Gabrielem Biel. Primus ex his theologus sec. XIII. in sua Summa docet quod: « Sacramentum Poenitentiae efficit quod figurat, quia gratiam vi contritionis acceptam auget ». Alter theologus seculi XIV. in 4<sup>a</sup>. D. XVIII. q. 1. a. 3. ait: « Virtus clavium dupliciter potest considerari. Uno modo, ut est in fide poenitentis volentis confiteri et absolutionem Sacerdotis quaerere secundum formam Ecclesiae. Alio modo, ut concernit actualem prolationem sacerdotis absolventis. Primo modo facit instrumentaliter et dispositive ad peccatorum remissionem et gratiae infusionem, quia principaliter facit virtus divina coexistens virtuti ipsius Sacramenti, eo modo quo dictum est superius d. 2. q. 1. a. 1. Secundo modo accipiendo virtutem clavium, tunc quamvis non faciat ad culpae remissionem, quia iam supponitur esse remissa per praecedentem contritionem, tamen facit ad gratiae iam receptae augmentationem et infusarum virtutum accumulationem. Et per hanc distinctionem potest responderi ad obiectiones diversarum opinionum, quibus aliqui probant quod solus Deus dimittit peccata, et per consequens virtus clavium non se extendit ad remissionem peccatorum. Alii e contra dicunt quod Sacramenta N. L. efficiunt quod figurant; ideo virtus Sacramentalis, quae est virtus clavium, se extendit ad culpae remissionem et gratiae infusionem ».

Gabriel Biel in 4<sup>a</sup>. D. XVIII. q. 1. a. 2. has statuit conclusiones. Concl. 1.<sup>a</sup> Potestas clavium extendit se ad peccatum et poenae remissionem in quantum eius usus in voto requiritur ad contritionis perfectionem. Concl. 2.<sup>a</sup> Potestas clavium non extendit se ad remissionem peccati aut reatus poenae aeternae, ut causa principalis, neque ut causa sine qua non, sive instrumentalis. Haec conclusio probatur, quia nihil est causa effectus quem praesupponit, cum causa sit naturaliter prior causato, sed potestas clavium, quae exercetur absolu-

tionem Sacramentali confitentis, praesupponit remissionem peccati, ut recte fiat et ut habeat effectum Sacramentalem; nam absolutio, ut rite impendatur, praesupponit contritionem in absolvendo; alioquin nihil operatur, nec sufficit attritio, ut probatum est D. XIV. q. 2. Concl. 3.<sup>a</sup> Potestas clavium extendit se ad remissionem et retentionem culpae non coram Deo, sed in facie Ecclesiae. Concl. 6.<sup>a</sup> Quamvis potestas clavium se non extendit ad peccati remissionem, extendit se tamen ad gratiae infusae augmentationem. Et in Dist. XIV. q. 2. ad quam provocat, proposita obiectione quod secundum sententiam, quam defendit, Sacramento Poenitentiae nimis derogaretur; respondet « quod in nullo derogatur Sacramento, sed magis commendatur: quoniam causat effectum sive culpae deletionem in voto, quod includitur in contritione, antequam exhibeatur in opere... et hoc est signum magnae efficaciae, sicut et passio Christi in hoc est efficax, quia operata est salutem in patribus V. L. priusquam exhiberetur in effectu. Nec propter hoc est simile Sacramentis V. L. quae tantum significabant seu promittebant; quia hoc Sacramentum confert gratiam, etsi non primam simpliciter, confert tamen augmentum gratiae, sicut et baptismus adulto, et cetera Sacramenta suscipientibus: et hoc ex opere operato, quod non faciebant veteris testamenti Sacramenta ».

Quartam vero sententiam docuerunt duo Victorini Hugo in Summa Tract. 5. c. 11. ac Richardus in Tractatu de potestate ligandi et solvendi c. 7.

Diximus videri quod non possit negari exstitisse Theologos qui tertiam sententiam propugnarent. Nihilominus possunt et alia afferri testimonia, quae, si sola essent, oppositum persuaderent. Sane Thomas de Argentina Dist. XVI. q. 1. Utrum contritio, confessio et satisfactio sint partes Poenitentiae, a. 1. ad quintam obiectionem ait: « Ad quintum potest dici quod si remittitur peccatum antequam quis confiteatur et a sacerdote absolvatur, hoc non fit per poenitentiam, ut Sacramentum est, sed ut virtus est. Potest etiam dici quod licet quandoque remittatur peccatum, priusquam confessio et satisfactio sint in effectu; tamen nunquam remittitur sine confessione et satisfactione existentibus in proposito voluntatis ». Si quandoque per poenitentiam virtutem, ergo ordinarie per Sacramentum et absolutionem Sacerdotalem remittitur peccatum.

Gabriel Biel autem in Dist. XIV. q. 2. declarans formam Sacramenti, ait: « quia Deus principaliter *absolvit per ministerium Sacerdotis*, convenienter apponitur aliquid quod pertineat ad auctoritatem principaliter absolventis, ut sic: Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine P. F. Sp. S. Unde videntur ea verba omnino suffi-

cere et esse congrua; haec enim exprimunt ministrum atque eius actum et personam suscipientem, et *peccata a quibus* absolvitur, et auctoritatem principalem». Praeterea in Dist. XVIII. q. 1. ante conclusiones suas proponit conclusiones secundum sententiam Scoti, quin eas diserte improbet, ut videatur doctrinam suam tanquam probabiliorem quidem, non vero ut certam defendere. Imo id ipse clare testatur in Dist. XIV. q. 2. ubi eandem tradit doctrinam; inquit enim: « quoniam sunt diversae opiniones, quarum quaelibet habet graves viros defensores. . . ponam conclusiones probabiles, nihil praeiudicans aliis opinionibus ».

II. Ceterum quam maxime aberraret a vero, qui arbitraretur sententias huiusmodi fuisse penes veteres communes. Etenim plures Theologi ac Scholarum principes primam sententiam amplexi sunt, et censuerunt gratiam primam remissivam peccati immediate attingi a Sacramento seu potestate clavium instrumentaliter. Ita Guillelmus Parisiensis De Sac. Poenit. c. 4., ita Alensis p. 4<sup>a</sup>. q. XIV. m. 2. ita ipse Thomas docens quaedam Sacramenta esse ordinata ad remedium peccati et talia peccatoribus esse exhibenda, sicut est baptismus et poenitentia: item baptismum et poenitentiam ordinari directe ad remissionem culpae; ideoque effectum producere etsi desit in poenitente praeparatio sufficiens ad iustificationem, quamvis scilicet accedat ad confessionem attritus, non plene contritus, III. p. q. LXXX. a. 4. ad 2. coll. in 4.<sup>a</sup> D. XVIII. q. 1. a. 3. et 3. p. q. LXXXIV. a. 3. Atque haec doctrina s. Thomae excludit necessitatem contritionis existimatae. Durandus ita in IV. D. XVIII. q. 2. n. 6., ita Scotus in IV. D. IV. q. 4. idem docens quod Thomas; ita Richardus a Media Villa seculo XIII. ibid. D. XVIII. a. 2. q. 1. defendens sufficientiam attritionis et Sacramenti virtute remitti peccatum; idemque eodem seculo docet Henricus Gandavensis quodl. I. q. 32., ita Aureolus sec. XIV. D. 18. a. 1. quocum consentit Dionysius Carthusianus seculo XV. ibid. q. 3. qui testatur hanc esse sententiam communiorem, item s. Antoninus Summ. p. III. Tit. 14. cc. 6. et 19.

Sententia proinde horum Theologorum erat, virtute clavium remitti peccatum primamque gratiam infundi, non requiri ad Sacramentum eam dispositionem, qua iam peccatum esset deletum; sufficere proinde attritionem sive imperfectam contritionem. Ad hos quoque theologos haec sententia spectabat: *attritum virtute clavium fieri contritum* (cf. Paludanum D. 17. q. 8.), quam sententiam ante Concilium Tridentinum fuisse in Scholis satis communem testis est ipse Lutherus, ut liquet ex eius testimoniis superius recitatis. Vis vero huius formulae huc redibat: cum iustificatio citra Sacramentum non habeatur sine contritione, contritio autem sit poeni-

tentia gratia informata eo quod illam statim assequatur, et sit simul cum illa; Sacramentum vero virtute sua suppleat defectum contritionis, et gratiam infundat attrito, fit ut per Sacramentum attritus fiat contritus, h. e. habens eam gratiam sanctificantem, quam contritio assequeretur, atque habens habitum caritatis, qui est principium sufficiens verae contritionis: ideoque attritus virtute clavium fiat *aequivalenter et habitualiter* contritus. Secundum quem sensum loquitur Canus (Relect. De Poenit. p. 6.): « Sic hoc loco intelligi volumus ex attrito fieri contritum, idest gratiam et iustificationem consequi virtute Sacramenti perinde ac si vere fuisset contritus ». Haec proinde attritio dicebatur *contritio extrinsece*, non intrinsece. Ita Dominicus a Soto in 4.<sup>a</sup> D. XVII. q. 7. a. 5: « Attritio, quae id habet (ut sit talis) ex obiecto, potest fieri contritio, ut dum quis ad Sacramentum accedit attritus, putans se esse contritum: tunc per Sacramentum suscipit gratiam, per quam eadem attritio informata dicitur extrinsece contritio ». Cf. Albertum M. in 4. D. XVI. a. 8.

III. Horum Theologorum numerus, praeter eos, qui disertissime hanc primam sententiam tradiderunt, ampliari facile potest, si haec advertantur: 1) secundam sententiam, ad rem ipsam quod spectat, non differre a prima: quartam sententiam paucorum esse, et in eo, quod asserit, cum sententia communiore convenire: eos vero Theologos, qui pro sententia tertia afferri possunt, eam non ut certam proponere, ut indicavimus De Gabriele et Argentina.

2) Veteres postulantes contritionem pro suscipiendo Sacramento censuisse quoque quod sufficeret contritio existimata, quae vere non esset contritio, sed talis a poenitente reputaretur. Hanc autem imperfectam contritionem vocabant attritionem. Ita s. Bonaventura in 4.<sup>a</sup> D. XVII. p. 2. a. 2. q. 4. ait: « quaedam sunt Sacramenta ordinata ad gratiam, sicut baptismus et poenitentia, quaedam ad gratiam augmentandam, ut Eucharistia. Dico igitur quod sicut Sacramenta augmentantia gratiam non habent efficaciam nisi in habentibus caritatem, sic Sacramenta gratiam impetrantia non habent efficaciam nisi in eis, qui se disponunt. . . Sic dico quod ad Sacramentum Poenitentiae non est necesse quod accedat homo habens caritatem vel dispositionem ad caritatem sufficientem secundum veritatem, sed sufficit secundum probabilitatem. Haec autem dispositio attritio est, quae frequenter ob confessionem superadiunctam et absolutionem sacerdotis formatur per gratiam, ut fiat contritio sive ad ipsam contritio subsequatur. Unde dico quod sufficit quod probabiliter se disponat ad gratiam ». Haec autem doctrina ex se satis est ad docendum quaenam sit sententia circa efficaciam Sacramenti: valet scilicet ad remissionem peccati etiam in solis attritis.

3) Aetate Lutheri ante Concilium Tridentinum sententia Thomae et Scoti satis communis erat; eam enim Catholicis exprobat ipse Lutherus tanquam doctrinam Scholae, quod ex eius testimoniis superius recitatis et liquet et infra clarius demonstrabitur.

Quid ergo voluit dicere Melchior Canus Relect. De Poenit. part. 5. « Contritio ponitur pars Sacramenti; quia est certa et indubitata materia: quod autem attritio sufficiat, quamvis verum sit, non est adeo certum et indubitatum: et ideo Concilium Florentinum communisque sententia tenens certum, relinquens incertum, ponit contritionem partem Sacramenti ». Si contritio sumitur specificè, falsum est quod teneatur certum; nam id profecto non est certum. Sensus ergo Cani est: cum non sit adeo certum attritionem saltem ut talem existimatam, sufficere, adhibitum est nomen genericum, quod utramque speciem comprehendit; et certissimum est contritionem generice sumptam esse partem sufficientem et necessariam Sacramenti.

IV. Non erit abs re advertere sensum penes veteres illius formulae *attritio fit virtute Sacramenti contritio*, quae, nisi pro ipso subiecto attrito et contrito acciperetur, alia erat ab illa: *attritus virtute Sacramenti fit contritus*: unde hac concessa, negabatur a non paucis illa cum s. Thoma. Sensus illius non unus erat. Scotus e. g. in 4.<sup>o</sup> D. XIV. vocans attritionem eum dolorem, qui ad iustificationem disponit et in cuius termino existit iustificatio per infusionem gratiae, atque hac ratione vocans talem dolorem attritionem eo quod non est informatus gratia sanctificante, et e contrario contritionem vocans eum dolorem, qui ea gratia informatur: hinc docet eandem numero attritionem superveniente gratia evadere contritionem. Alii utrumque dolorem distinguentes propter diversa motiva, cum tamen in utroque sit detestatio peccati, quaerebant an idem numero actus detestationis perseverare valeat sub utroque motivo, vel an possit unus actus in alium mutari, et sic attritio fieri contritio: cui quaestioni duplici negative respondent s. Thomas in 4.<sup>o</sup> D. XVII. q. 2. a. 1. q. 3. Gabriel Biel in IV. D. 16. q. 1. Alensis Summa p. 4.<sup>o</sup> q. XVII. memb. 5. a. 4. Concedebant tamen ex attritione, fieri contritionem, sicut ex mane fit meridies, ut Paludanus in 4.<sup>o</sup> D. XVII. q. 1. a. 1. Si tandem distinguas attritionem a contritione non ratione motivorum diversorum, sed solum ratione perfectionis doloris, ut contritio sit dolor efficax super omnia, attritio nondum efficax et super omnia, quae distinctio occurrit penes veteres (cf. Caietanum Opusc. De Contrit. q. 1.<sup>o</sup>); licebit dicere cum quibusdam veterum attritionem fieri posse contritionem, si idem actus intendi potest.

Errat tamen Morinus (De Contrit. et Attrit.) cum docet Veteres

in hac quaestione, qui affirmativam partem tuebantur, semper illud supposuisse, attritionem et contritionem secundum gradus tantum differre, non vero secundum speciem, hoc est iisdem secundum speciem motivis informatas esse; attritionemque proinde fieri contritionem non cum novum excellentius motivum accederet, sed cum gradibus intenderetur. Quod et in commentario historico tradit idem Morinus L. VIII. c. 4. Nam si argumenta eorum legas penes Gabrielem l. c. evidens erit, eos existimasse specie differre motiva attritionis et contritionis, totamque quaestionem in eo fuisse utrum idem actus voluntatis in esse physico ex motivo timoris elicitus posset continuari quoque sub alio motivo amoris: quae erat quaestio prorsus philosophica pendens ex notione actuum, an essent in instanti, an perseverarent, an actus quoque elicitus voluntatis informari posset, idem manens, a diversis motivis successive.

Atque haec philosophabantur de attritione et contritione, ut actus sunt. Si vero spectarentur ut habitus, iidem Theologi idem facilius concedebant de habitibus; « quia habitus est qualitas permanens, ideoque prius potest esse sine gratia, et sic est attritio, et potest postea formari gratia, et tunc erit contritio. Est tamen idem habitus inclinans semper ad eundem actum scilicet nolle peccasse, licet circumstantia finis varietur ». Sic hanc sententiam exponit Gabriel ibid., qui tamen id cum aliis negat. Vides, quod si actum fuisset tantum de contritione remissa et intensa, nulla habita fuisset quaestio, sive inter omnes convenisset posse habitum saltem attritionis fieri habitum contritionis, quis enim Scholasticorum negavit habitus intendi posse? Et de his satis.

V. His positis demonstrare aggredimur quod assumpsimus. Citat Le Drou opere citato Dissert. I. c. 3. plures veteres Scriptores tanquam eos, qui contritionem in Sacramento Poenitentiae flagitent. Responsio nostra his continetur 1) Ex auctoribus ab eo allegatis eximendi sunt plures. Sane speciatim eximendus est s. Raimundus a Pennafort, qui in Summa Poenitentiae L. III. Titulo de Poenitentiis et remissionibus §. 11. cum docet *sola contritione remitti peccata, et hanc esse opinionem celebriorem*: non id vult dicere quod contritio sola, non absolutio, remittat peccata, sed quod contritio, etiamsi sola sit, sufficiat ad remissionem peccati. Cum vero ibid. §. 61. docet solum Deum pure et vere et proprie dimittere peccata, eo sensu id dicit ut « non sit dubium quin Sacerdotes habeant potestatem dimittendi et retinendi peccata... quibus enim remittunt, remittit Deus ».

Delendi sunt etiam omnes theologi, qui defenderunt sufficientiam contritionis existimatae. Porro his omnes veteres, qui pro adversa

riorum sententia citantur, comprehendere licet. Ita e. g. qui citatur ab adversariis Stephanus Brulifer, cuius haec verba proferuntur in 4.<sup>m</sup> D. XVIII. q. 1. « Sacerdos . . . cum dat absolutionem, praesupponit quod est absolutus a Deo », quae sunt verba Bonaventurae in eadem Dist. p. 1. a. 2. q. 1. Sane idem Brulifer D. XVII. q. 14 ait quod « ad Sacramentum poenitentiae non est necesse accedere cum caritate vel dispositione ad caritatem sufficientem secundum veritatem, sed sufficientem secundum probabilitatem. Haec autem dispositio est attritio; quia aliquando contingit quod aliquis ante confessionem habeat tantum de attritione, quod acquirat gratiam: sed non requiritur quod sit tanta attritio secundum veritatem, quia reapse propter confessionem superadiunctam et absolutionem Sacerdotis talis attritio formatur per gratiam ». Quae est ipsa sententia Bonaventurae superius citata. Atque idem Stephanus ibid. q. 8. ita loquitur: « posito quod aliquis haberet tantam contritionem de peccatis suis, quod iustificaretur absque confessione, tamen tenetur postea confiteri ». Qui ita loquitur, supponit posse hominem sine contritione iustificari per Sacramentum. Atqui haec communis Theologorum veterum sententia non est sententia adversariorum.

2) Specialim respondemus auctoritatem horum veterum Scripturum ad causam adversariorum conferre nihil. Nam doctrina adversariorum est contritionem ex motivo caritatis conceptam requiri pro Sacramento, quod tamen fatentur e sententia Tridentini efficax esse ad remittenda peccata. Ut igitur suam sententiam auctoritate Maiorum tueantur, oportet eos proferre testimonia illorum, qui hoc utrumque doceant, et contritionem caritate perfectam requiri, et vi potestatis clavium remitti peccata contritis ita ut sine absolutione maneat contritus in statu peccati. Quod si Maiores ii negent hoc alterum, non solum non iuvant adversarios nostros, cum in alia prorsus hypothesis loquantur, sed vehementer illis nocent, tum quia docent, ut ex eorum dictis constat, sola contritione, quaecumque sit, deleri peccata, quod adversarii negant; tum quia simul implicite docent quod ex hoc antecedente, nempe potestas clavium se extendit ad remissionem peccatorum, sequitur necessario hoc consequens: ergo non est necessaria in Sacramento contritio perfecta; quae est antithesis propositionis adversariorum. Atqui omnes ii veteres Theologi, qui afferuntur pro necessitate adserenda contritionis, negant illud alterum, negant scilicet contritos manere citra absolutionem in statu peccati.

Sane arbitratos esse veteres omnes contritionem licet remissam delere immediate peccata, nequit in dubitationem adduci. Id iam efficimus Thh. praeced. ac testimoniis illis adductis addi possunt

Biel et Maior in 4.<sup>m</sup> D. XVII. q. 1. Argentina ibid. q. 1. a. 3. Porro advertendum est contritionem perfectam sive iustificantem veteres intellexisse eam, quae ex caritate concipitur. Ita eam definit Magister in 4.<sup>m</sup> D. XVIII. inquit: « Nemo enim vere compungitur de peccato habens cor contritum et humiliatum, nisi in caritate ». Biel D. XIV. q. 2. « Actus poenitentiae, quo detestor peccatum propter Deum tanquam finem ultimum, potest esse unus, qui respectu finis est amor, respectu peccati est odium. Nam illo uno actu peccatum odi propter Deum super omnia dilectum . . . Possunt etiam esse duo actus, unus respectu finis, qui est actus dilectionis Dei super omnia, alius respectu peccati vel poenae, qui pertinet ad virtutem moralem, sicut primus ad theologiam scilicet caritatem ». Ita Ioannes Maior l. c. ut probet non requiri certum gradum intensionis vel certum tempus in contritione, ita arguit: « quaelibet dilectio Dei est dispositio sufficiens ad gratiam (idque accipit tanquam concessum quoque ab adversariis), sed in quolibet tempore quantumcumque parvo potest elici dilectio Dei, imo in instanti: sed in qualibet detestatione peccati, quod est Dei offensivum, imbibitur amor Dei: ergo ». (1)

(1) Ne videantur ii veteres rigidiores fuisse, qui pro Sacramento Poenitentiae contritionem ex caritate exigebant, haec iuverit animadvertere: 1° quod iam monuimus, satis ipsis fuisse contritionem existimatam. 2° si descriptio contritionis ab eis tradita perpendatur, actum, quem dicunt contritionis ex amore Dei, esse vel complecti quoque actum detestationis peccati, quem nos appellavimus actum proprium virtutis specialis poenitentiae. Id enim postulant pro tali actu, ut sit detestatio peccati, quatenus est offensa Dei; quae est ratio formalis virtutis specialis poenitentiae. Id videre est penes omnes scholasticos post Magistrum et Thomam. Vel cum distinctius declarant indolem amoris, ex quo contritio elicitur, eum amorem identidem repraesentant, qui sit amor Dei boni nobis: « dolor, qui est displicentia peccati commisi, potest esse adeo parvus quod non sufficiat ad rationem contritionis, ut si minus ei displiceret peccatum, quam debeat displicere separatio a fine » ait s. Thomas in 4.<sup>m</sup> D. XVII. q. 2. a. 5. q. 3. Cf. et verba Durandi in Thesi XXIV. Porro hic actus doloris non est adeo difficilis, et si sufficiat dolor huiusmodi existimatus, ut sit rite dispositus ad gratiam Sacramenti qui faciens quod in se est videtur sibi tali modo contritus non redditur certe ardua susceptio Sacramenti. 3° Auctor profecto non rigidus et doctissimus theologus Ioan. Bapt. Faure hanc ipsam sententiam amplexus est et defendit tanquam benignam, h. e. in Sacramento Poenitentiae contritionem ex caritate requiri, sufficere tamen existimatam. Vide opusculum *Dubitationes theologicae de iudicio practico etc.* Sect. VI. et VII. De sententia circa sufficientiam contritionis existimatam loquimur inferius suo loco.